

tit ore. Habet praeterea paullo post: *quanto efficacius impetramus*, ubi contextus nostrum *impetrabimus* suadet.

VI. fol. 117. p. 2. Incipit liber de mortalitate. Initium: *Et si apud plurimos uestrum fratres dilectissimi mens solida est &c.* Lectio Editis consona. Post principium pro *perpetua securitas col. 461.* Codex habet *leticia.*

VII. fol. 125. Incipit liber de opere et elemosinis. Initium: *Multa et magna fratres karissimi beneficia diuina &c.* Pro plenius *consilium detur*, Noster habet: *plenius consilium detur*, et mox: *pro damnatione conclusi*, ubi Editi col. 476. legunt *praescriptione.*

VIII. fol. 135. Incipit liber de bono patientie. Initium: *De patientia locuturus fratres dilectissimi et utilitates eius &c.* In ingressu edit. col. 491. euidenter cum Nostro reponendum: *Nam si patiens ille est pro sapiens.*

IX. fol. 143. Incipit liber de zelo et liuore. Initium: *Zelare quod bonum uideas et inuidere melioribus &c.* Nullum ab Editis memorabile discrimen.

X. fol. 148. p. 2. Incipit liber aduersus Demetrianum. Initium: *Oblatrantem te et aduersus deum qui unus et uerus est &c.* Lectio ut plurimum Editis congruit. Illa tamen: *nec sic uerna de temperie sua leta sunt*, quam col. 433. Editores respuunt et legunt: *nec sic vernante temperie fata leta sunt*, defendi, imo praeferrari potest ex eo, quod mox in contextu *autumna* eodem gene-

re, numero et casu posita sequantur. Atque haec speciminis ergo ad commendandum Codicem.

XI. fol. 158. Incipit cena Cypriani. Initium: *Quidam Rex nomine Jobel nuptias faciebat in regione orientis &c.* Scriptum istud, Labbeo parum sobrii capitis operosissimum commentum, Oudino stultum lectuque indignum, Tillemontio Turca dignius quam Christiano, procul amandandum a Cypriani Operibus iis adhuc adhaeret in Edit. *Pamelii Antverpiae 1568. T. III. p. 604.* non tamen absque της Νοθείας indice.

DLX.

Codex membraneus lat. Sec. 745

XIV. Folior. 143. 8. probe scriptus, rubricisque ornatus hoc miniato est titulo: *Incipit liber de miseria humane conditionis editus a lothario dyacono. qui postea Innocentius papa III est appellatus magnus.* Praeit Dicitio ita inscripta et exordiens: *Domino Patri. Carissimo. P. (Petro Gallociae) Portuensi episcopo. Lotharius indignus dyaconus. gratiam in presenti. et gloriam in futuro. Modicum otii quod inter multas angustias &c.* Initium L. I. *Quare de vulua matris egressus sum &c.* Confer, quae de hoc Tractatu III. *Libris* seu *Partibus* constante, ejusque primis Editionibus dixi ad *Cod. CCXLVI.* Tertiam, quae recens mihi innotuit, indicavi in *Supplem. Maittair. P. II. p. 606. n. 5304.* Exemplum praefens

praefens in Dedicatione recte legit *dignitatem humane nature pro uilitatem*; finit vero, ut Editio, quam ibi *Schoepflinianam* adpellavi, et addit: *Explicit liber de Miseria humane conditionis*. Ad tergum *fol. ult.* alia manus Praxin quandam superstitiosam adleuit, quae nunc maximam partem extrita est, studiose, ut videtur.

II. *fol. 26.* sequitur *Συνταγμα* sacrarum *Dictionum* in Festa Domini et SS. per anni circulum, insertis etiam Dominicis a Septuagesima ad Pascha. Praeit Epistolium has Dictiones expetentium in hunc modum: *Cum proxime in nostro Conuentu resideres. et uerbum iuxta datam tibi sapientiam faceres. omnibus qui aderant est uisum non te set angelum dei per te fuisse locutum. Vnde etiam plurimi de fratribus de uerbis tuis compuncti. multum iam proficiunt in timore domini. Quamobrem rogamus te &c.* Respondet Autor: *Peritissimi Pictores Ambrosius et Augustinus. Jeronimus et Gregorius. et alii quam plurimi mira celatura et uaria pictura egregie ornauerunt domum domini &c.* Et postquam reuerendos fratres adpellasset, prosequitur: *nouam depinxi tabellam. ut quibus non uacat immensitati illorum egregii operis considerando diutius insistere. eos non pigeat saltem in festis diebus huius tabelle aliquam formam perspicere. Huius tabelle sit nomen speculum ecclesie. &c.* En igitur *Speculum Ecclesiae* aliud ab eo, quod *Hugo a S. Caro* Card.

de Missae Officio composuit. Praefixo porro brevi Monito, quas Preces facer Orator Sermone praemittere debeat, Sermo primus est in *Natiuitate domini nostri ihesu christi*, hoc initio: *Letentur Celi Et Exultet Terra &c. Merito iubentur hodie celi letari &c.* Ultimus vero abruptus Commemorationi Defunctorum destinatus videtur; est enim in illud: *In memoria eterna erit iustus &c.* et inchoat: *Cuncta que fiunt in hac terra oblivionis obliuiscuntur &c.* Autor, qui rhythmicum *Gregorii M.* perpetuo adfectat, et multus est in referendis historiis, *fol. 72. p. 2.* Sermone ita orditur: *Exultandum nobis est dilectissimi in sollempnitate Sanctissimi patris nostri Benedicti &c.* quin igitur inter *Benedictinos* censendus? Suspiciari quis possit, latere hic *Bartholomaeum Abb. Cluniacensem* a. 1230. e uis sublatum, cuius *Sermones* extare in *Bibl. R. Parisina Cod. 4295.* Titulo: *Speculum Claustralium ex dictis Sanctorum Patrum Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis et aliorum* ait *Oudinus T. III. col. 45.* et ex eo *Ziegelbauerus* in *Hist. Rei Lit. O. S. B. P. IV. p. 159.* Sed nempe ibi *Sermones* etiam de *Tempore* adsunt, quos *Codex* noster ignorat, Pronuntiabit, cui *Codices* inter se contendere integrum fuerit.

III. *fol. ult.* Narratio fabulosa de *Paulo* Apostolo et *Michaele* Archangelo infernum inuisentibus, manu paulo recentiore exarata,

2133

A S C E T I C I.

2134

exarata, cujus initium: *Interrogandum est quis primus rogauerit deum ut anime habeant requiem in penis inferni &c. Pauli Απαβατινον* edisseritur in *Fabricii Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 943.* Memoratur tamen ibi etiam Revelatio nostra, quam *Καραβατινον* dicas, e *Cod. Coll. Merton. Oxonii*, quamvis Codex ille Inferno substituat *Purgatorium.*

DLXI. —

²⁹⁴ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque *Monasterij Sancte Marie alias Scotorum wyenne*, complectitur sequentia. I. *Incipit liber de habundancia exemplorum Magistri Alberti Episcopi Ratisponen. ad omnem materiam.* Initium: *Quoniam plus exempla quam uerba mouent secundum Gregorium &c.* Finis: *quod non valde timeat omnis homo.* Editus est Libellus hic Sec. jam XV. f. l. et a. sed, ut videtur, *Ulmae per Joh. Zeiner* circa 1480. f. hoc eodem Titulo, quo tamen illum neque in *Opp. omnib. Alberti Lugd. 1651. T. XXI. f.* in quibus plane desideratur, neque in *Scriptt. O. P.* reperies. At vero *Tritbemius* alio illum Titulo n. 466. repraesentat, scilicet *de Multiplici Timore*, quo etiam a *Quetifo* et *Echardo T. I. p. 181.* citatur, quin tamen eum tractasse videantur. Summe itaque rarum esse oportet. Repetitur ad calcem *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

Cod. nostri Titulus superior, additurque scriptionis annus 1434.

II. fol. 65. p. 2. *Decreta Concilii Basileensis lata Sess. XXI. de Cultu divino in Ecclesia et Choro.* Prout leguntur in *Collect. Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 317. Decr. VIII. pro: Missa — per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest, recte habetur: praeter secretas orationes &c.* In fine subditur: *Datum Basilee in sessione publica die iouis mensis iunij Anno 8^o. 35. idus scilicet 5 ante festum pentec.*

III. fol. 68. *Brevis Tractatio de triplici Indignitate accedendi ad Sacramentum Altaris orta vel a natura, vel a gravi peccato, vel a censuris ecclesiasticis.* Initium: *De perceptione venerabilis sacramenti dicit apostolus priore ad Cor. XI^o. Qui manducat indigne &c.* Finis: *ut in ca^o eos de sententia excommunicationis preallegato libro 6^o.*

IV. fol. 73. *De vicio proprietatis religiosorum, vel, ut ex calce praeoccupo: Excerptum ex tractatu magistri ac fratris birrici de Coesueldia ordinis Carthusien. contra proprietates religiosorum.* *Westphalus* hic, Priorque *S. Mariae prope Montem S. Gertrudis in Hollandia*, defunctus 1410. multa reliquit inedita, quae habes in *Tritbemio*, in *Petreti Bibl. Carth. p. 127.* et *Bibl. Belg. Foppenii T. I. p. 438.* inter quae et *Opus nostrum.*

N n n

V.